

- Non est igitur, ut unde exivimus, redeamus, quod parti ab Aristotele
 G 26 attribuitur, generi accommodandum, etiamsi accommodari possit. Inter-
 preti enim fido non sua, etiamsi bona sunt, sed quae traducendus
 auctor graece scripsit, ea in latinam sunt linguam referenda. Hic autem
 sudor accidere pedibus non conturbatorum nec perturbatorum in genere, 5
 B 29^v id enim falsum est, sed solummodo trepidantium solet. Ideo ratio
 quaeritur, quamobrem in trepidatione, quae agonia graece dicitur,
 pedes sudamus. Sint haec.
- 18, 1 Numerorum autem vim non abditam atque reconditam, sed ipsam,
 quae ad communiorem pertinet usum, videamus, quam optime teneat 10
 acutus iste Aristotelis interpretator. Tertium est XV. particulae, quae
 de pertinentibus ad res mathematicas inscribitur problema huiusmodi.
 »Quamobrem omnes homines tam graeci quam barbari ad decem usque,
 non ad alium numerum numerant?« Quaerite, obsecro, id in traductioni-
 bus Cagis. Sustinete parum, quaeso, laboris. Facitote, ne pervicax 15
 patronorum suorum malitia veritati tenebras infundat. Nam ne facile
 inveniri, quae Cages scripsit, conferrique cum veteribus possit, omnia
 consilio eorum confundit, tam problemata quam particulas quoque
 ipsas. Statim enim incipiens primae particulae, quoniam ad medicinam
 pertinet, illam de cicatricibus longe ab ipsa disiunctam ab Aristotele 20
 connectit Cages. Ita rebus omnibus suum, non quem philosophus
 voluit, ordinem dedit. Quodsi qui ordinasse Cagem, quae absque ordine
 G 26^v Aristoteles effudit, recteque id factum obiiciant, respondebimus pluris
 fieri ab omnibus, qui recte sapiunt, Aristotelicam, ut ipsi dicunt,
 inordinationem quam exquisitam Cagis. Praeterea cur non reliquit Cages 25
 B 30 omnibus, qui vellent, excogitandi scribendique facultatem de ordine
 aut inordinatione Aristotelica, sed iudicio suo alienos, id est philosophi,
 libros seu particulas perturbavit? Hoc ubique paene facit. Cur? Ut cunc-
 tis, ut diximus, confusis non sit facilis singulorum locorum inventio nec
 cum veteribus interpretamentis collatio. Sic enim maxime ignorantiam 30
 suam posse tegi putavit. Ideo iugiter id ipsum in singulis quoque
 problematibus factitat.
- 2 Quod ut quale sit, percipiatis, problema primum XVI. particulae,
 quae est de pertinentibus ad caelestia, legite. Cuius initium est: »Quam-
 obrem, quamvis aequaliter, sol aequali in tempore feratur.« Nam cum 35
 philosophus geometrica demonstratione in solvendo utatur ac more
 geometrorum elementis lineas nominet, mutavit Cages elementa nec
 ea posuit, quae Aristoteles. Quae res apertissime, ne imperitia sua

9 ipsam quae] ipsamque G B

13 Arist. Probl. ι' 3. 910 b, 23 sq. Διὰ τί πάντες ἄνθρωποι, καὶ βάρβαροι καὶ
 Ἕλληνες, εἰς τὰ δέκα καταριθμοῦσι; | 34 Arist. Probl. ι' 5. 911 a, 5. Διὰ τί τοῦ ἡλίου
 ὁμοτόνωσ φερομένου ἐν τῷ ἴσῳ χρόνῳ . . .

deprehendatur, per malitiam facta est. Mutatio enim elementorum in demonstrationibus geometricis facit, ne quid intelligere queas, etiamsi sexcentis expositorum commentariolis iuveris. Nam qui exponunt, elementis omnes illis utuntur, quibus Aristoteles lineas insignivit. Ita 5 fit, ut elementis confusis omne auxilium explanatorum tollatur. Viderunt patroni Cagis posse ipsius ignorantiam defegi, nisi omnia permiscerentur, G 27 et similiter scientiam hoc pacto problematum e medio se sublaturum B 30^v arbitrati sunt.

Verum de confusione nunc satis. Quare ad propositum de numeris 9
10 problema orationis cursum flectamus. Quaeritur in eo causa, cur omnes homines ad denarium numerum nec citra nec ultra innumerando ascendant. Id ita proposuit Cages. »Cur omnes homines, tam barbari quam Graeci, ad decem usque enumerare consueverunt?« Non sic Aristoteles, sed: »cur omnes homines enumerant?« inquit. Ac inter haec quantum 15 intersit, quamvis non videat, philosophus, quare natura duce ita fiat, quaerit. Unde non posse homines aliter facere aperte ostendit. Natura enim mutari non potest. Cages, ut amplior sibi videatur oratio, et clausula maiore bombo erumpat, nulla rerum aestimatione facta: »Cur, inquit, ad decem usque enumerare homines consueverunt?« O doctum pro- 20 bumque hominem, qui, quod natura fit nec forte casuque accidit, ut ipse philosophus testatur, id consuetudini hominum attribuit, nec semel, sed saepius idem ex mira ingenii hebetudine factitat! Solos enim sesquipedalium strepitus verborum, rerum pondere postergato aut minime percepto, sequitur. Nec Ciceronem audit, qui sic hac de re in 25 libris de oratore ad fratrem scribit: »Sed nulla est maior dementia, B 31 nullus maior furor, quam verba in numerum construere nulla subiecta G 27^v scientia vel sententia.« Hispidas tamen Cages, hirsutas agrestesque adeo habet aures, ut nec, quem optat, verborum crepitum olfacere queat, sed in salebras praeruptaque saxa, quibus dignus est, sua 30 praecipitetur oratio.

Videtis, videtis ergo, quam maximum honorem mereatur is, qui ne unam quidem sententiam vel scientiam philosopho dignam traducens expressit, sed oppositum animo complexus est. Nam quando ratio quaeritur, quare quicquam ut hic de numeris natura fiat, consuetudini 35 ut plurimum rem totam ipse accommodat. O nervis potius quam verbis castigandos homines, nec magis hos, qui haec per ignorantiam aut malitiam sive utrumque faciunt, quam illos, qui quamvis ignorantiam Caguleorum cognoscant, tamen talia tollerant, nec tollerant modo, verum etiam laudibus prosequantur! Nam si qui oppresso iniuria

1 malitiam G maliciam B | 39 prosequantur G prosecuntur B

12 Theod. Probl. XV 3. 443 a. | 25 Cic. De orat. I 20.

Mohler, Kardinal Bessarion. III.

homini non adest, cum possit, homicida est. Nonne inter parricidas enumerandi sunt, qui parenti philosophorum omnium Aristoteli, cuius libri depravantur, non succurrunt, qui philosophiam ipsam non defendunt, sed negligunt, qui pulcherrimae scientiae problematum non propugnant?

5

Quid illud, quod paulo post pro solutione additur? An, quia
 B 31^v denarius principium est? Sic Aristoteles: »Cur principium sit? Aut,«
 sicuti ego arbitror et sequentes approbant rationes, »quod novem cor-
 G 28 pora sunt, quae feruntur, <aut> quod decem proportionalitatibus quattuor
 cubiti numeri, quibus universum secundum Pythagoricos constet, effi- 10
 ciuntur.« Aut principium esse denarium numerum quasi omnibus tunc
 apertum patensque dixit. Nec rationem attulit ullam. Cages vero
 solus sententiam suam auctoritate vel levitate potius patronorum suorum
 confisus textibus Aristotelis immiscuit. »An, inquit, quoniam denarius
 fons atque principium est, quippe qui ex uno, duobus, tribus et quattuor 15
 constet.« Non rapietis omnes in proditorem scientiae lapides? Non
 frangetis Aristotelis in calumniatorem gladios? Non deridetis, si arma
 desunt, dentibus aures, nasum, faciem? Non lacerabitis alius alio
 trahentes totum hominem manibus? Si vera essent, quae somniat,
 haec tamen prae dedignatione faceretis, quod sensum suum non in 20
 margine neque seorsum ascribit, sed ipsi Aristoteli attribuit. Num, cum
 falsa penitus sint, patiemini? Vera certe ratio haec sua esse non potest.
 Nam si vera sit, non denarius tantum, sed multi alii numeri principium
 erunt. Multi enim sunt, qui huiusmodi accumulatione ab unitate in-
 B 32 cepta constant. Statim ternarius ex uno et duobus. Senarius ex uno, 25
 duobus et tribus. Denarius ex uno, duobus, tribus et quattuor. Quin-
 decim ex his et quinque. Deinde vigesimus primus ex collectione omnium
 usque ad sex, et deinceps multi sequente semper numero ab unitate,
 G 28^v collectis accumulato. Vigesimus octavus. Trigesimus septimus. Quadra-
 gesimus septimus. Quinquagesimus octavus. Quid facio? Innumera 30
 enumerare conor. Immo satis de hoc dictum sit, quoniam satis dici
 non potest.

19. Illud cachino potius, si placet, prosequamur, quod in primo proble-
 mate XVI. particulae ponit. Quod etiam, ut mox diximus, elementorum
 mutatione sedavit. Nam cum dicat Aristoteles aestum maxime in 35
 meridie fieri, quia sol prope nos sit, attendite, quo pacto locum digerit
 Cages, videte, quem sensum egerit et patronis apponit suis. »Quippe,

1 parricidas] paricidas G B | 21 Num G Nunc B

7 Arist. Probl. ι' 3. 910 b, 34—38. ἡ ὅτι ἀρχὴ ἡ δεκάς; . . . ἡ ὅτι τὰ φερόμενα σώματα ἑνέα; ἡ ὅτι ἐν δέκα ἀναλογίαις τέτταρες κυβικοὶ ἀριθμοὶ ἀποτελοῦνται, ἐξ ὧν φασὶν ἀριθμῶν οἱ Πυθαγόρειοι τὸ πᾶν συνεστάναι; | 14 Theod. Probl. XV 3. 443 a. | 33 cf. Arist. Probl. ις' 1. 913 a. | 37 cf. Theod. Probl. 16, 1. 444 a (locus cit. deest).

inquit, cum sol meridie maxime e perpendicularo se nobis exhibeat. Numquam certe nobis e perpendicularo sol se ipsum exhibet; sub aequinoctiali autem habitantibus semper in meridie, citra aequinoctialem vero nullis nisi ad tropicum usque habitantibus aestivalem. Nam illis
 5 etiam, quamvis non semper, sed tamen, quando sol prope ipsum tropicum est, nullam in meridie umbram corpora porrigunt. Quod fit, quoniam e perpendicularo maxime sol eas tunc aspicit regiones. Dicit fortassis non e perpendicularo, sed maxime e perpendicularo se dixisse. B 32^v
 Quis non ridebit? Nemo est, qui potestate vocis percepta, id est non
 10 ignorata significatione perpendiculari, possit ignorare numquam nobis solem ad perpendicularum accedere. Quomodo igitur, si ne accedit quidem ad perpendicularum, maxime ad perpendicularum nobis erit? An quod G 29
 minime esse potest, id aliquando maxime esse possit? Quis haec umquam praeter Cagem egressit? Quis expleri se ipsum istis praeter laudatores suos, homines insanos, patietur? Prope nos autem sol in meridie
 15 maxime fit, quia maxime illo tempore ad verticem nostri capitis accedit. Quae quidem accessio adeo remota longe a perpendicularo est, ut nemo sit, qui e perpendicularo nos umquam a sole aspici cogitaverit. Cages solus excogitavit. Cages edidit. Cages hoc cibo amicos pascit suos.
 20 Qui si contendunt solem in meridie maxime se nobis e perpendicularo exhibere, attamen profecto, quamvis impudentissimi sint, dicere non audebunt Aristoteli hoc ingerendum fuisse. Servandus est enim unicuique modus suus, non detorquendus auctoris sensus ad unum. Quod Aristoteles dixit, id ipsum non aliud traductor referat. Si non intelligit,
 25 non traducat. Aut saltem ipsa philosophi exprimat verba, quae si rectius quam ceteri consequi se credit, commenta conscribat, exponat B 33
 ut liber. Id enim omnibus licet. Alienis sua immiscere nemini licet. Nam id quidem nihil aliud est, quam nec sua nec aliena velle integra hominibus tradere, sed omnia prae intollerabili contumacia confundere.
 30 In septimo autem XVII. particulae, ubi quaeritur, quare si magnitudo
 20. divisa in multa est, minorem omnes simul partes reddere magnitudinem videntur quam totum. Videte, quomodo Cages, quasi sacramento additus sit oppositum semper, quam philosophus dicat, tradu- G 29^v
 cere, totum etiam hunc locum pervertit. »Cur, inquit, tota magnitudo
 35 divisa maior toto videatur?« At, o perspicacissime vir, et rationes oppositum inferunt, et tu concludendo contrarium transtulisti. Sic enim scribis: »Consentaneum igitur est, ut partibus divisus maior appareat moles.« Dicite, dicite, oro vos, bucinatores Cagis, an soleat Aristoteles aliud umquam proponere, aliud rationibus comprobare, aut aliud, quam

11 quidem scripsi quod G B | 20 e perpendicularo] e B om. | 35 maior G B minor edit.

30 Arist. Probl. ις' 7. 914 b, 1 sq. Διὰ τί διαιρούμενα τὰ μεγέθη ἐλάττω φαίνεται πάντα τοῦ ὅλου; | 34. 37 Theod. Probl. XVI 7. 445 a (inaccurate cit.).

probavit, concludere. Non estis veriti, ne, si non per libros graecos, quoniam paucissimi graece intelligant, at per vetustas <traductiones> ac per priscos expositores, qui graece simul et latine sciebant, comprehenderetur non philosophum scripsisse, sed Cagem pugnancia ex ignorantia traduxisse. Cur autem in pugnancia sic saepius incidit, ut, 5
 B 33^v ne unum quidem hominis sensum habere videatur? Ipse in calce praefationis apertissime praedicat. Multa enim a se affirmat emendata, multa in melius versa. Unde colligitur omnia, quae pingui non potuit ingenio assequi, ea quasi mendosa in melius sibi, ut putat, esse perversa. Quam recte vero intellexerit, undique apparet. Cuncta enim depravata 10 vel addendo vel subtrahendo vel mutando sunt.

21. Antecedentis problematis sexti huius particulae prima statim verba considerate, qui veritatis et philosophiae studiosi estis. Chartam G 30 enim posuit pro papyro, nec vidit, quod omnia, quae ibi dicuntur, chartis nullo accidunt modo, sed iuncis, papyro stirpique accidunt. 15 Papyrus enim iuncus quidem est. Credo stirpem latine appellari posse. Verum quoniam prisci, antequam inventa fuit chartarum confectio, quibus nunc utimur, ex papyro quasi tabulas, ubi scriberent, conficiebant, idcirco papyro pro charta vulgo abutimur. Insanum hominem atque penitus amentem fuisse Aristotelem credant necesse est omnes, 20 qui Cagi prae furoris magnitudine credunt. Quis enim non viderit chartis non posse accidere, quae scribuntur? Vi rerum ergo cogetur aut Aristotelem insaniisse, cum volumina problematum scriberet, aut Cagem, cum traduceret, existimare.

22, 1 Primum vero XVIII. particulae quibus obduxit tenebris! Nam 25 cum in eo quaeratur, quare inaequales maiores apparent alter ad alterum B 34 collati quam seorsum atque in se ipsis absque ulla collatione considerati: »Cur homines, inquit Cages, qui corpore constant immodico, maiores esse videntur, cum appositi modicis aspiciuntur?« Primum quid erat opus homines adiicere? Ne scilicet quispiam contendat de asinis philo- 30 sophum intellexisse. An hominibus tantum, et non equis, bobus, camelis, suibus, elephantis, quod dicitur, accidit? Omnibus quidem animatis accidere inscriptio ipsa huius particulae declarat. Cur vero animatis solum, nec cuilibet magnitudini? Quia videlicet, nisi partes organicae G 30^v in magnitudinibus inspiciuntur, ex quarum inaequalitate partium, ut 35 philosophus sentit, numerus emergit, fieri non potest, quod dicitur. Deinde, cum Aristoteles »incommensurati«, ut verbum de verbo exprimam, dixerit — incommensurati autem non sunt nisi inaequales —,

1 veriti G verit B | 2 vetustas B vetustos G | 15 sed] B om. | stirpique *correcti* sec. *infra* 309, 20; 318, 26] stirpoque G B | 16 stirpem] stirpum G B

12 Theod. Probl. XVI 6. 444 b. | 25 Arist. Probl. ιζ' 1. 915, 37 sq. Διὰ τί οἱ ἀσύμμετροι παρ' ἀλλήλους θεωρούμενοι μείζους φαίνονται ἢ καθ' αὐτοὺς μόνους; | 28 Theod. Probl. XVII 1. 445 b.

E. J. Brill
 K. T. II
 IOANNINA 2006

cur immodico constantes corpore Cages et Cagulei dicunt? Quae tanta horum hominum ignorantia vel potius porcorum grunitus est. An, si hominem modicae staturae minori conferam homini, falsum in his problema videbitur?

5 Insanire profecto mihi ipsi videor, quod tantam ignorantiam,² quam contemnere deberem, redarguere non erubescam. Sed veritatis amor, Aristotelis honor, cui non ego modo, sed universum genus humanum et maxime reges ac principes, plurimum debent, et denique philo- B 34^v sophia, parens omnium, silentio me Cagis portenta praeterire non
10 sinit. Quid, ut ceteris supersedeamus, quae plurima in hoc problemate quasi excrementa, ut Cagulei dicerent, sunt, quid inquam qualeque est, quod concludens apposuit? »Merito, inquit, maius tum esse apparet, cum spectatur ad id, quod simplex est atque unum.« Atqui etiam —
15 o quo te digno nomine appellem! — quoniam seorsum aspiciebatur, maius erat. Sed altius hoc est, quam Cagulei simul omnes queant percipere. Quale autem sit, in scholiis marginalibus nostris latius dictum est. Caguleis vero ignoscendum esset, si in his difficilioribus solum, nec magis in facilioribus quasi caeci palpitent.

Legite, rogo, quod statim sequitur, ubi cum quaerat Aristoteles, 23.
20 quare et animalia et plantae in longitudinem magis crescunt, ipse: G 31^v »Cur animantia, inquit, omnia et ea, quorum stirpes terra continentur, crescere potius in longitudinem soleant?« Enumerate, obsecro, quot vitia, ne dicam, ineptiae sunt. In re tam brevi, tam aperta, tam dilucide a philosopho dicta primum longo usus est circuitu, qui rem apertam
25 operuit. Deinde »crescere soleant« inquit, quasi consuetudine id sibi, non natura iussit. Sic, quod natura homines facimus, solere nos facere saepius dicit. Praeterea »soleant« de re certa certeque a philosopho
30 proposita subiunctive dixit, qui dicendi modus rebus, de quibus haesi- B 35^v tamus, accommodatur. Ad haec Aristoteles plantas nominavit. Ipse
35 vero: »ea, inquit, quorum stirpes in terra continentur«. Credo nonnullas esse plantas ipsum opinari, quarum stirpes in aëre contineantur. Quod quidem nescio an ullus umquam temulentus somniaverit. Sed somniaverit id sobrius Cages, vereque somniaverit. Agant nonnullae plantae radices in globo lunae, agant in corpore solis, agant in orbe ultimo, an ideo
35 non magis in longitudinem crescant? At Aristotelis ratione, ubicumque sint, quae proprie crescere dicuntur sicut animata, in longitudinem magis profecto crescant. Quia enim longitudo principium atque origo ceterarum dimensionum est, ea de causa necessario accidit, sicut philosophus sentit, ut in longitudinem omnia magis crescant. Illud G 31^v

5 profecto G profecto B | 16 scholiis G scoliis B | 22 quot G quod B | 32 somniaverit G somniavit B | Sed somniaverit G B

12 Theod. Probl. XVII 1. 446a. | 20 Arist. Probl. ιζ' 2. 916a, 12. Διὰ τὴ ἐπιμήκος τὰ ζῷα καὶ τὰ φυτὰ φύεται; | 21 Theod. Probl. XVII 2. 446a.

autem sic verum esse mathematici demonstrant, sicut passim per elementa Euclidae patet, ut negare nemo queat, nisi Caguleo sit praeditus ingenio.

24. Duodecimum etiam XX. particulae, quae de re musica est, diligentius lectitatote, ubi ostendit philosophus graviolem ex fidibus ideo 5 accipere atque occupare sonum, acutioris videlicet, quia parvum in magno continetur. Cages autem: »quamobrem, inquit, quae gravior ex fidibus est, huic semper actus modulandi committitur?« Ita quod B 35^v natura rerum fit, hominum dispositioni, constitutioni commissionique ipse attribuit. Nec quod philosophus proponit, nec quod probat, nec 10 quod sentit aut percipere potest aut rimari dignum putat, sed vernantium modo verba sine sensu effundit. Non immerito igitur omnes, qui eum sequuntur, Cagulei, et secta, quae voces sequitur, rem non intelligit, immo quae nec vocum quidem ipsarum certam determinatamque habet rationem, Cagulea potest appellari. Quae quidem secta 15 trium adhuc numerum hominum non excessit. Quorum duo ab abyssu in deorum, ut ipsi dicerent, munus ascendentes, in contrariumque delapsi summam ignorantiam, levitatem, amentiam cum spurcissima vita coniunxerunt.
25. Sed de his si rudere grunnireque pergant, apertius atque latius 20 alias. Nunc secundum XXI. particulae toto vel in animo perpendatis, G 32 ubi ratio ab Aristotele quaeritur, quare trito a priscis rerumque divinarum scientiam habentium Graecorum proverbio ferebatur belli tempore mentham nec serendam, nec comedendam esse, ratioque redditur, quoniam mentha corpora comedentium frigefaciat. Cumque haec herba 25 non parum caloris habeat, mirumque videri possit, quo pacto herba calida frigidius reddat corpus humanum, huius rei certius esse vestigium ait, quia sperma comedentium corrumpitur. Quo nihil aliud significatur, B 36 nisi quia proprio quodam calore, siccitate atque natura menthae calor humanus adeo superatur, ut sperma etiam aboleatur. Nam non solum 30 generandi vis sua tollitur, verum etiam ipsum frequenti usu menthae paulatim imminuitur et tandem exstinguitur. Quo exstincto hominis fortitudo elatusque animus omnino deiicitur. »Hoc enim, inquit, contrarium est ad fortitudinem et ad animos, cum sit idem genere.« Contraria enim in eodem genere proxima sunt et maxime distant. Quare, quoniam 35 elatio et deiectio animi contraria sunt, et deiectio animi abolitionem spermatis subsequitur, quod spadones, qui omnes in muliebrem vertuntur naturam, declarant, et mentha sperma quadam sui natura exstinguit,

13 sequuntur G secuntur B | 24 mentham] mentam B | 35 proxima] proximo B

7 Theod. Probl. XIX 12. 447 a. | 22 Arist. Probl. κ' 2. 923 a, 9—11. Διὰ τί λέγεται «μίνθην ἐν πολέμῳ μήτ' ἐσθίε μήτε φύττει»; ἢ ὅτι καταψύχει τὰ σώματα; δηλοῖ δὲ ἡ τοῦ σπέρματος φθορά. | 33 Arist. Probl. κ' 2. 923 a, 11 sq. τοῦτο δὲ ὑπερεναντίον πρὸς ἀνδρείαν καὶ θυμὸν ταῦτόν ἐν τῷ γένει.

patet, quia fortitudini ac magnitudini animorum menthae comestio contrarium est. Quas ob res non comedere solum ipsam priscae proverbium Graeciae prohibet, sed ne serere quidem belli tempore, ne G 32^v inde comestio sequatur, permittit. Id totum sic altum, sic verum, sic
5 utile, sic breviter ac more Aristotelico absolutum operae pretium est audire, quomodo interpretatus est Cages. «Id autem ipsum, inquit, adversum omnino est ad fortitudinem atque excandescentiam animi, quae sibimet generis cognatione deiungi palam est.» Certe hinc non ad philosophorum usum, sed longe a poeta verbis aliquo evulsis nec re
10 propter brevitatem satis expressa nullus altior potest haberi sensus. B 36^v Nam cum ab omnibus Peripateticis contraria dicantur, quae in eodem genere posita maxime distent, ipse quia nec contrarium nominavit aliquid et cognationes induxit generum, ad alium longe philosophiae studiosos sensum repellit, quam Aristoteles voluit.

15 Sed quod statim sequitur, attente oro videatis. Quaeritur autem: 26.
«Cur, non dico aliqua indefinite, sed nonnulla, hoc est distinctius, quaedam florem faciunt et fructum non faciunt, sicut cucumer, cucurbita, malum punicum?» Ipse vero et quasi ambigua, quae certissima sunt, protulit, sicut fere semper propter ignorantiam solet. Et pro malo punico malus
20 punica dixit. Nec ratio philosophi nec oculorum sensus, quo penitus carere videtur, aut furorem hominis adversus veritatem domare aut ignorantiam mentemque suillam ad quicquam recipiendum revocare potuerunt. Florem facit et fructum non facit malus punica? Non vidisti umquam huius arboris fructum, quem malum punicum appellamus? G 33
25 Centies, scio. Etiam devorasti. Quomodo igitur comedo tu et veritatis ipsius, ut sic dicam, helluo videre non potes malum punicam floribus suis mala punica facere? Haec sicut cucumeres quoque atque cucurbitae flores faciunt. Fructum facere nequeunt, quia ipsa fructus sunt. Non moverunt iners pingueque ingenium saltem cucurbitae et cucumeres B 37
30 simul enumerati ab Aristotele. Hactenus de hoc.

Verum si, quanta sit ignorantia Cages, quantaque vertigine mentis 27, 1 agitetur, absque multo labore vultis cognoscere, legite, quod deinceps sequitur, id est quartum huius XXI. particulae. Nam cum investigetur, cur olerum alia cocta, alia non cocta eduntur, legite, legite, obsecro,
35 qua via rem tam apertam pervertit. «Cur, inquit, eorum quae terra emergunt, alia cocta, alia cruda sunt cibo idonea?» O hominem, patronorum suorum dignum praeconio! O hominem, non minus oculorum et

27 suillam G suillem B

6 Theod. Probl. XX 2. 449 b (*admodum inaccurate cit.*). | 16 Theod. Probl. XX 3. 449 b. (*inaccurate ac falso cit.*) | cf. Arist. Probl. κ' 3. 923 a, 13 sq. Διὰ τί ἐνια ἄνθος ἔχοντα ἀκαρπὰ ἐστίν, οἷον σίκυος καὶ κολοκύνθα καὶ ῥόα; | 33 Arist. Probl. κ' 4. 923 a, 17 sq. Διὰ τί τῶν φυομένων τὰ μὲν ἐψανά, τὰ δὲ ὠμὰ βρωτά; | 35 Theod. Probl. XX 4. 450 a.

gustus quam mentis expertem! Boves, asini, pecudes ceteraque pecora cognoscunt plura sibi reiicienda quam edenda eorum, quae terra emergunt. Cages, qui se philosophum profitetur, ne asinorum quidem nec pecudum sensum adeptus, sola nonnullorum elatus potentium vel auctoritate vel ignorantia, universam Aristotelis philosophiam et veritatem ipsam perversurum se confidit. »Eorum, quae terra emergunt, alia cocta, alia cruda homines edunt.« Sentis, quid dicis, an nondum
G 33^v quidem? Omnia enim, quae oriuntur e terra, edi ab hominibus, alia cocta, alia cruda, hic sermo significat. Omitto sulfura, omitto alumina omitto argentum vivum, omitto metalla omnia. Quae cum e terra
B 37^v emergant, ardenti eorum potu solus dignissimus es. Sed quando tu fatue scamoniam, quando helaterium, quando frondes caseas, quando aconitum, quando agaricum ceteraque huiusmodi, quae innumera emergunt e terra, vidisti aut audisti homines ad cibum colligere? Dic, sodes, crudum tu elleborum, an coctum esse comedendum consulis? **15** Utrum dices. Ceteri omnes in tuis, tui bucinatores. in te prius periculum faciendum contendunt. Sed missa haec letifera venenaque faciamus. Ioncos vero, stirpes, ficulneas, frondes, hederam, salicum, folia platani, globulos, abiegna, ramalia, vepres, arbusta, dumos decoctos tu devoras, an crudos? Si decoctos dices, mirabimur. Nullum enim animal sic ista **20** comedit, sin crudos. Simile veri videbitur. Nam caprae quoque, asini et boves crudis quibusdam istorum pascuntur, homines nullo pacto. Quare si non aliorum naturam, sed tuam considerasti, veniam tibi dandam censemus, si in transferendo Aristotele non ipsum, sed te potius aspexisti.

2 Cur autem, cum ratio philosophi vertenda esset, primum subiungis, **25** an quibus sucus, deinde statim, quibus autem sapor? Uno eodemque verbo certe Aristoteles hic utitur et uni eidemque rei causam accommodat. Tu modo substantiae, id est suco, modo saponi, hoc est qualitati, **G 34** causam unam eandemque attribuis. Sed forsitan graeci vocabuli potestatem utroque ferri contendis. At idem verbum eadem de re centies **30** dictum idem semper significat, nisi tua mirabilis prudentia, si de stellis **B 38** tractaretur canisque saepius nominaretur, nunc stellam, nunc animal quadrupes, nunc piscem quendam intelligendum variat. Non vereris tales ineptias atque adeo vomitus, quasi Aristoteles scripserit, in medium reponere? An credis ceteros quoque homines laudatorum tuorum **35** gustum habere? Nimium erras, mihi crede. Cito enim olfacient omnes, quam foeteant eructationes tuae, quam mortiferos exhalent singultus, quam pestilentes sint vomitus. Quare non ceteris, sed tuis has putredines praepara. Illis hanc mensam appone. Illis haec offeras fercula. His cibariis reple. Illis hoc alimento valetudinem, quam merentur, **40** restitue. Non enim hominibus, sed naturae hominum corruptoribus, qui nasum in adolescentulorum clunibus die noctuque confricare solent, suavissimum hi tui vomitus reddunt odorem.

Sed non erit finis, si non dico errata, quae aut minutiora sunt 28, 1
aut certe rariora. Sed depravationes eas, quae funditus rem universam
evertunt, singulas persequemur. Nihil enim est integre, fideliter, scite ab
eo dictum, nihil non depravate, non ignoranter, non quasi ab homine
5 insensato traductum. In nullo sensus philosophi servatur. Omnia longe
alio distrahuntur. Nec verisimile aliquid aut rebus ac veritati, quamvis G 34^v
falsum, saltem propinquum exponitur. Quare si unum vel alterum B 38^v
addemus, finem de infinita huius hominis dementia faciemus.

Vigesimum particulae quartae problema ponitur ab Aristotele: 2
10 »Quamobrem ixiae faciunt, ne generent, qui eas patiuntur?« Has ixias
etiam in hoc volumine alibi nominatas et in libris de animalibus saepius
aliter alii capiunt. Nos genus apostematis esse genitali spiritu et materia
spermatice ad vertebra lumbos ceterasque partes renibus ac femoribus
vicinas conversa in marginalibus scholiis diximus. Sic enim et rationes
15 philosophi aperte docent, et vis verbi significat. Ixia enim graece non
tibias, non pedes, non inferiores partes, sed quae lumbos et vertebra
obeant atque complectantur, significat. Contra Cages varices inter-
pretatus est. Quis ferret tam alienam a veritate rem philosopho, quasi
sic ipse dixerit, inique attributam. Si certe in margine de varicibus
20 dici existimare se ascripsisset, nemo posset perperam id factum arguere.
Licet enim unicuique sine alterius iniuria, quae credit vera esse, etiamsi
non sint, depromere. Aristoteli autem ac veritati rerum palam detrahere,
id nemo, nemo umquam, o Cages, aequo animo patietur. »Cur, inquit,
gignendi facultas iis tollitur, qui a varicibus tenentur.« Et in <XXXVII.
25 part. IV.>: »Cur spadones, inquit, vel omnino varicibus vacant vel minus B 39
habent?« Et in calce huius: »Talis autem est puer et mulier, quorum
neutrum varices habere consuevit. Praeterquam si mulier, raro.« Prae- G 35
tereo singulorum semper alienam a rebus verborum potestatem. Gigni
enim alienius atque generalius est, quam res flagitet. Nec facultas de in-
30 sita rerum vi ac naturali, sed de topiis dicitur externisque rebus. Nec
tentigo, sed mentula emarcescit. Et »praeterquam si mulier, raro« dicendi
modus, praeterquam quod historicus est, veritati etiam propter dubi-
tationem immixtam vehementer repugnat. Iunioribus haec hisque
similia praetermittantur. Rebus enim ipsis praecipue, non verbis feren-
35 dam a nobis opem censemus. Quid ais Cages? Naturalis generandi
virtus tollitur varicosis? At C. Marius multique alii et varicosi erant
et filios ex se ipsis generabant. At omnibus ixiosis tentigo, ut philo-
sophus ait, non accidit. Varicosis, si scire cupis, quam saepius accidat,
aut periculum in te facito aut a bucinatoribus tuis, qui periculum

15 Ixia G Ixis B | 25 <XXXVII. part. IV.> G B lacuna | 27 neutrum B
neuter G

10 Arist. Probl. 8' 20. 878 b, 36. Διὰ τί αἱ ἰξίαι τοὺς ἔχοντας κωλύουσι γεννᾶν; |
23 Theod. Probl. IV 20. 425 b. | 25. 26 Theod. Probl. X 37. 434 b.

fecerunt, diligentius quaerito. Non vides saltem rationem a philosopho redditam. » Quoniam, ait, *ixia translato spiritu fit*, genitali videlicet, — de hoc enim plane loquitur — quo translato mentulae quoque tentigo prosternitur. Multa sane a medicis de varicum causis solent tractari.

B 39^v Quis eorum umquam genitalis spiritus translationi causam dedit? Nemo, 5 nemo prorsus. Nam omnes ore uno voceque una clamant itinera longa et continua, cursus vehementiores ac crebriores, onera humeris nec

G 35^v parva et saepe ac diu sustentata existendi varices causam esse. His enim et venae tibiaram pressae ampliantur et sanguis ad inferiora depellitur. Ita sanguine, non genitali spiritu, sicut tu fingis et Aristote- 10 lem in crimen atque mendacium vocitas, varices non iuxta genitalia membra, sed in tibiis, nec ut pustulae, sed sanguine, sicut diximus, venis elatis sincero intumescunt.

3 Dicet forsitan quispiam ipso Cage non doctior *ixiae* vocabulum nonnumquam pro varice poni. Vide, quantum sic verba fundenti attri- 15 buo. Sit verum, quod dicitur. Scribatur *ixia* etiam pro varice, nec ab imperitis, sed a doctissimis atque peritissimis Graecis. An ob hoc, o Cagulei, quoniam a peritissimis canem pro quadam fulgente stella scriptum invenietis, quandocumque forte canem audietis, stellam dici putabitis? O fanaticos homines, immo insensatas potius beluas! Nam si 20 quicquam hominis praeter figuram haberent, viderent profecto verba rebus accommodanda esse, non res verbis.

4 Ixiosos fieri tam spadones quam mulieres negat Aristoteles. Perpulchre id traducit Cages. Non irrideo. Perpulchre namque id mihi B 40 factum videtur. Quod sic factum est, ut totum auctorem suum oboleat, 25 ut re tale sit, qualis auctor, ut hinc res, inde nomen in unum coacta conveniant. Quid igitur Cages et spadones et mulieres negari ab Aristotele scribit varicosos fieri solere? Furoris sane omnia, quae dicit, plena G 36 sunt adeo, ut me quoque in furorem vertant, cum de ipsis cogitem atque scribam. Nec enim reperio verba, quae tantae amentiae furorique 30 congruant. Spadones et mulieres varicosi natura fieri nequeunt. Spadones cur? Sanguinem non habent? At magis ipso abundant ixiosi quam antea. Venis carent? Dici non potest. Itineribus, cursibus oneribusque non conquassantur? Non minus sane quam ceteri. Cur ergo, si causae omnes ita in ipsis sicut in aliis concurrere posse inveniuntur, effectus 35 quoque similiter non concurrent? Haec eadem de mulieribus scribi possent, nisi menstruorum defluxus varicibus esset impedimento. Sed si menstruus retinetur sanguis, multo facilius quam in viris varices in mulieribus extollentur.

5 Unde igitur hae prodigiosae Cagem fictiones invaserunt, unde 40 portenta haec innata sunt sibi? Unde animo varicosus adeo factus

20 beluas] belluas G B | 32 abundant G habundant B

2 Arist. Probl. δ' 20. 878b, 37 sq. ἡ ὅτι ἡ ἰξία γίνεται μεταστάντος πνεύματος.

est, ut omnes, qui acciderunt hominibus umquam aut accidunt aut
accident, varices tumore animi superarit. Non enim tantum in pedes
insurgere illi soliti sunt, quantum ipse in veritatem. Sed non est huius
temporis, unde facta sint haec omnia, quaerere. Non enim in Cagem B 40^v
5 nec in complices suos invectivas conscribimus, sed iniuriam a nobis
propulsamus, quod omnibus licet, et Aristotelem ac veritatem simul
defendimus.

Sed quintae quoque particulae XXXI. consideremus, ubi quaerit 29, 1
Aristoteles: »Quare qui phthisim patiuntur et lassi labore, praeparati
10 ad pollutionem in somno sunt?« At Cages: »Cur, inquit, genitura in
sommis iis profluere solet, qui aut a labore lassescunt aut tabe consumun- G 36^v
tur?« Non intelligo equidem, quomodo genitura profluere lassis soleat.
Genituram enim sic dici latine scio, ut naturam, ut feturam, ut, si
quis ita vult, generaturam. Sed a rebus ipsis coniicio pro spermate
15 hominis ipsum genituram cepisse. Sit sane Latinis lex, aut potius iis
solum, quibus scripta Cagis latina videntur, quicquid Cages egesserit.
Profluere vero solitam esse genituram cur dixit? Longe namque aliud
hoc est, quam esse ad pollutionem praeparatos. Non enim semper a
praeparato solet profluere. Nam quis nescit praeparatos nos esse ad
20 multa saepe, quae nobis non accidunt?

Magni ab omnibus ingenii Aristoteles fuisse iudicatus est, multos- 2
que praeclaros viros scripta eius a natura ipsa dictitata putasse memoriae
proditum est. Hanc laudem illud potissimum et comparavit, quod
cautissime, hoc est proprie vereque adeo loquatur, ut non nisi natura B 41
25 ipsa de naturalibus loqui rebus videatur. De quacumque re scribit,
verbis protinus ipsis percipitur. Actune, an potentia rem putet esse,
qua de loquitur, utrum in genere, an in parte proferat, habeatur per se,
an per accidens, non latet. Primumne ut sit, an non, perspicitur. Nihilque
penitus, quod ad rem recte intelligendam pertinet, praetermittitur sicut
30 hic. »Quare, inquit, lassi«, et quoniam lassitudo multis accidere modis
soleat, »labore« addidit. »Quareque, inquit, lassi labore homines prae-
parati ad pollutionem in somno sunt?«

Cages autem quasi philosophiam et gloriam eius e memoria homi- 3
num evellere velit, nullo ipsum sequitur pacto, sed cuncta confuse, G 37
35 indistincte ac in alium redacta sensum pervertit. Nam primum hic
praeparationem hanc omnino abolevit. Deinde pollutionis verbo reiecto
»cur genitura, inquit, profluere solet«, et sic a pollutione ad seminis
profluentiam rem penitus diversam sensum transtulit. Nam pollutio
est seminis in momento temporis per saltum exitus summa cum volup-
40 tate atque tentigine sola coitus imaginatione. Profluentia vero seminis

9 phthisim B phtisim G | 27 habeatur G habetur B | 35 sensum G sensuum B

8 Arist. Probl. ε' 31. 884 a, 6 sq. Διὰ τί ἐξονειρωκτικοί εἰσιν οἱ κοπιῶντες καὶ
φθισιῶντες; | 10 Theod. Probl. V 31. 428 b.